



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXXXIII. IV. & V. Immunitatis violatæ per incarcerationem duorum
Religiosorum, & ultimum etiam supplicium de uni sumptum à Judice
sæculari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

ter, vel secundum portiones determinatas dividatur.

Gloss. & DD. in rubr. ff. de Collat. bonor. Jason in rubr. C. eod. n. 1. Bald. in l. 9. n. 11. C. dist. tit. Wefenb. ad ff. ibid. n. 1.

Consequenter per eam inducitur communio, & societas quædam bonorum sic collatorum, à qua societate, ubi placuerit societatem ineuntibus, recedi per divisionem bonorum communium potest. Discrimen hoc solum inter divisionem bonorum in aliis casibus, & hanc, quæ fit post mortem unius conjugis est, quod illa fieri possit quocunque tempore, huic autem causam præbeat mors conjugis vel cum testamento, vel ab intestato defuncti. Quod ergo conjux superstes, & hæredes conjugis prædefuncti hoc casu acquirunt, uxor quidem acquirit jure communionis bonorum, quæ inter ipsos dividuntur; id verò, quod acquirunt hæredes, acquirunt jure successionis. Et hinc in primo casu non est propriè successio, sed divisio: sicque non est hæreditas viventis.

27. Dicendum ergo, quod in casu præ-

senti pactum, inter Tiburtium, & Susanam initum, ipsumque statutum, vel consuetudo loci, juxta quam ex bonis ab utroque conjuge collatis duæ partes marito, vel hujus hæredibus, tertia uxori obvenit, sit validum, & sustinendum; nam 1. per pactum hoc uterque conjux retinet bona immobilia sibi propria, quippe quæ juxta illa non conferuntur in massam communem. 2. Maritus præter contradotem, quæ ejusdem quantitatis debet esse cum dote, confert & ipse omnia sua bona mobilia, inter quæ etiam sunt bona, durante matrimonio quæsitæ; nam ista, nisi expresse inter conjuges de societate lucrorum conventum sit, aut pari labore & expensis (ut inter opifices, Mercatores, Caupones &c. aliquando consuevit) lucra hæc acquisiverint, cum præsumptio stet pro marito, ad istum pertinent: ut adeò per talem Collationem uxori acquiratur major spes lucrari, quam periculum damni sit. 3. Esto, quod periculum aliquod damni sit, si quod uxor hoc casu patiat, sibi imputare debet, quod per pacta dotalia non aliter sibi cavet. Ita salvo meliore &c.



CONSILIUM LXXXIII.

In causa Religiosi Professi à Magistratu laico in carceres publicos abrepti.

SUMMARIUM.

1. seqq. Facti species.

5. Persona Ecclesiastica, si fuga est periculum, possunt capi à Magistratu laico, ut tradantur Ecclesiastico.
6. In dubio, an reus gaudeat foro Ecclesiastico, decisio pertinet ad judicem Ecclesiasticum.
7. Rationes dubitandi.
8. Hæretici gaudent asylo, & apostata privilegio fori.
9. Incendarii non excluduntur ab asylo Ecclesiastico.
10. Clericus, qui se enormitatibus immiscet, post trinam Episcopi monitionem perdit privilegium fori.

FACTI SPECIES.

I.



professus, etiam sacrilegas nuptias cum

Arcellinus, frater laicus Ordinis cujusdam Religiosi, postquam descendit primo à Religioso suo Ordine, deinde etiam à fide Catholica, sectam Lutheranam publicè

11. Fratres laici Religiosi gaudent privilegio fori.

12. 15. 16. Clericus pro nullo crimine puniri potest à Magistratu laico, nisi tradatur curia seculari per judicem Ecclesiasticum.

13. Apostata Habitum Religiosum reassumens pro Religioso haberi debet.

14. An Clericus judicari possit à Judice laico ob crimen ante Clericatum commissum?

17. 18. Examen, & Confessio Clerici coram Judice laico nullius sunt roboris.

19. 20. 21. Quo Ordine, & ob quæ crimina Clericus possit tradi Curia seculari.

22. Quid in subtrato casu fieri oporteat?

puella Lutherana in urbe A. quò se recepit, contraxit. Per aliquot annos cum ista ibidem vixit. Tandem cupiditate pecuniæ, quam abundare credidit apud matrem hujus suæ pellicis, eandem matrem, nocte intempestâ in lecto dormientem occidit, sumpto deinde istius ære, ut lateret utrumque crimen (nam occisa sola in domo tum fuerat) ejus domum, subiecto igne, succendit. Nesciebatur author incendiî, suspi-

suspicio tamen vehemens erat contra Marcellinum, ut, nisi maturè de fuga sibi consulisset, certò fuisset comprehensus, & missus in carcerem ad extorquendam per tormenta veritatem, quippe ad quod indicia sufficientia aderant.

2. Ausugit ergo in Italiam, relicta suà pellice: ibi in se reversus, agnoscit gravissimum suum errorem, hunc detestatur, Deoque, & sacro Ordini suo reconciliatus, post anni fere lapsum à Superioribus suis in Habitu Ordinis, patentibus istorum litteris instructus remittitur in Germaniam cum mandatis, ut rediret in Provinciam suam, cujus membrum ante apostasiam fuerat. In via mutat rursus in deterius animum, iterque ad urbem A. dirigit animo iterum deficiendi à fide, & Ordine, ut pellicis suæ amoribus frui posset. Ad portam civitatis cum devenisset, agnoscitur, resque deferretur ad Magistratum civicum, qui commissorum criminum supra dictorum, quorum suspitione initio statim gravabatur, memor, jubet ipsum primò custodiri extra urbem per prædialarios milites, licet indutum Habitu Ordinis sui, & proferentem litteras commendatitias, acceptas à Superioribus suis in Italia: timuit nempe Magistratus, ne fictitiæ istæ essent. Hinc custodiri mandavit, donec de ejus professione religiosa sufficiens haberetur notitia.

3. Accepta etiam fuit plena de ipsius statu religioso notitia, repetebant illum pariter Superiores sui Ordinis, ipsèque Marcellinus, mutato animo deficiendi à fide, in suo Ordine se perseveraturum contestabatur: sed nihil effectum; nam insuper habita Ordinis protestatione contra tam violentam custodiam, & detentionem personæ sibi debita, retentus fuit in arresto, donec per A catholicos homines, quibus liber ad ipsum accessus erat, inter pocula, spe facta mitioris tractationis, persuasus fuit, ut iterum à fide desciscens profiteretur Lutheranam sectam, Habitumque religiosum dimitteret, quem re ipsa etiam dimisit, implorata, & obrenta, ut id impune faceret, protectione Magistratus A catholici.

4. Fefellit autem Marcellinum spes sua; nam, non obitante iterata hac sua defectione à fide Catholica, & religione sua, ob crimina ipsi imputata, post aliquot dierum privatam custodiam abstractus est in publicos carceres, ubi in loco torturæ constitutus, hujus aliàs certò subeundæ metu, judici laico eum examinanti fassus est se reum esse de occisa matre pellicis suæ, & excitato dein domus incendio. Quia verò brevi in se dictandam credidit sententiam mortis, conscientia urgente, posthæc declarat, Catholicè se moriturum. Permissu proin etiam Magistratus sæcularis per Superiorem sui Ordinis in carcere solenni-

R. P. Schmalzgrueber Consilia,

ter absolvitur ab apostasiæ iteratò commissæ crimine, & ab incurfâ per eam excommunicatione, sicque Ecclesiæ restituitur. Non intermisit post hoc Ordo Marcellinum iteratò repetere. Verum, non obstantibus omnibus protestationibus, ab eodem Ordine interpositis, Magistratus prosecutus est processum criminalem contra reum jam inceptum, quem etiam eò produxit, ut tandem prodierit feralis contra illum mortis sententia, sed non absque resistentia, & protestatione Senatorum quorundam ex Catholicis: quo factum, ut Senatus eâ die manserit congregatus à tempore matutino usque ad quartam ferè horam vespertinam. Hac Facti specie posita,

QUÆRITUR I. Utrum hæcenus acta,

5. & actitata à Magistratu sæculari in jure defendi possint? Multi etiam ex personis Ecclesiasticis sustinebant partem affirmativam: quibus etiam accinebat unus, vel alter ex Religiosis Theologiæ Professor. Nitebantur autoritate quorundam Doctorum, quos pro se adducebant, & inter hos Covar. Rambeck, Reiffenstuel, Friderich &c. Sed hi revera opinioni isti non patrocinantur; intelligi enim debent de casu excepto, quando scilicet Clericus, vel alia persona Ecclesiastica deprehenditur in flagranti, vel alias crimen ab ipso commissum notorium est; tum enim communiter DD. concedunt, talem reum posse apprehendi, & incarcerari à Magistratu sæculari, non tamen, ut ipse contra eum procedat ad pœnam, sed ut eundem deinde sistat suo judici Ecclesiastico. Et hoc quidem verum duntaxat est, quando est periculum fugæ, nisi statim apprehendatur; nam si periculum non sit in mora, non potest Magistratus sæcularis Clericum, vel Religiosum delinquentem apprehendere, quippe quod ipsi solum permissum est in defectum Ecclesiastici.

Abb. in c. 3. de sent. Excomm. n. 6.
Felin. ibid. n. 2. Clar. J. fin. q. 28.
n. 6. Farin. prax. crim. l. 1. q. 8. n.
122. Oliva For. Eccl. p. 2. q. 22. n.
10. P. Friderich de for. compet. edit.
2. n. 322.

Debetque hoc casu reus, si adversus ipsum ad capturam à Magistratu Ecclesiastico procedatur, ultra 20. horas ab isto non detineri: imò, quamprimum potest, Ecclesiasticæ Curiæ est remittendus.

Felin. in c. 10. de judic. n. 20. Farin. q.
8. cit. n. 118. Palao tract. 12. D. un.
p. 6. n. 14. Wiestner de for. compet. n.
186. cum aliis passim.

Verum non hoc agebatur in casu præsentis, ut Marcellinus traderetur dein judici Ecclesiastico, sed ut adversus ipsum ab ipso Magistratu sæculari formaretur processus, ut ipsa facti series demonstravit. Hinc

Ad quæstionem propositam indubitata 6.
in jure responsio est, male factum esse à Deciditur

(D d d d d 2)

Ma-

Magistratu sæculari, dum Marcellinum in Habitu religioso cum authenticis Superiorum suorum litteris deprehensum, captivarunt autoritate propria; pejus egerunt, dum Habitu spoliatum adduxerunt in publicos carceres, eique minitanti torturam, confessionem criminum, ab ipso commissorum ab eodem expresserunt: pessime verò, dum contra decretum inhibitorium, à iudice Ecclesiastico ad illos emanatum, sententiam mortis contra ipsum latam fecerunt exequi. Ratio responsionis est invincibilis; nam saltem dubium fuit, utrum reus noster privilegio fori Ecclesiastici gauderet, adeoque an causa ista ad istud, an verò ad forum sæculare pertineat, in dubio autem, quo disceptatur, ad quod forum ex his duobus causa pertineat, decisio ad iudicem Ecclesiasticum spectat.

Covar. *pract. qq. c. 33. n. 1.* Marta *de jurisdict. p. 4. cent. 1. cas. 145. n. 1.* Oliv. *for. Eccl. p. 1. q. 28. n. 21.* & hoc teste est receptissima traditio omnium, clarè fundata in SS. Canonibus *c. si iudex 12. de sent. Excomm. in 6. ibi, quia de re Ecclesiastica, & spirituali. ergo &c.*

Confirmatur ex communi doctrina, quæ docent DD. casu, quo reus comprehensus dicat se esse Clericum, Magistratum sæcularem non posse pergere in cognitione criminis, sed expectare debere, donec quæstio Clericatus decidatur in foro Ecclesiastico.

Covar. *c. 33. cit. n. 1.* Steph. Gratian. *Discept. for. c. 190. n. 13.* & seqq. Zerola *prax. Episc. p. 1. V. Clericus. n. 3.* Carol. de Grassi. *de effect. Clericatus. 1. n. 1257.* Petr. Barb. *in l. Titia 35. n. 29.* ff. *solut. matr.* Aug. Barb. *in c. si iudex cit. n. 2.* Oliv. *p. 1. cit. q. 26. n. 24.* Pirhing *ad tit. de for. compet. n. 106.* Wieltner *ibid. n. 182.* König *ad dist. tit. n. 11.* & patet ex *c. si iudex alleg.*

ubi Bonifacius VIII. apertissimis verbis statuit, discussionem Clericatus, si malefactor, captus à iudice laico, se Clericum asserat, ad solum iudicem Ecclesiasticum pertinere. Similiter ad iudicem Ecclesiasticum spectat decisio dubii, an reus, etiam laicus, qui confugit ad Ecclesiam, commiserit crimen exceptum, quo privetur asylo.

Covar. *q. 33. cit. à n. 1.* Gratian. *c. 190. cit. à n. 11.* Barb. *l. 2. jur. Eccl. c. 3. n. 154.* Guazzini. *reor. defens. 1. c. 31. n. 3.* Delben. *de Immunit. c. 16. dub. 41. n. 1.* Oliva *q. 26. cit. n. 21.* & hoc teste omnes ferè DD. quod apertissimè constat ex Const. Greg. XIV. incipit aliàs edita 9. Calend. Jun. 1591. ibi, nisi cognito prius per Episcopum, vel ab eo deputatum, an delinquentes verè crimina excepta commiserint.

Debuisset igitur in casu nostro Magistratus

sæcularis supersedere interea cognitione super criminibus Marcellino imputatis, imò istum ad Magistratum Ecclesiasticum remittere, in huius carcere tamdiu custodiendum, donec decisa sit quæstio, an reus iste privilegio fori gaudeat, prout fieri debet, cum dubitatur, an crimen, commissum à confuga ad Ecclesiam se recipiente, exceptum sit.

QUÆRITUR. II. An Marcellinus, si *7.* statim post commissæ crimina hac, dum adhuc *Quæstio 2.* erat apostata, & in sæculari habitu, fuisset deprehensus, incarcerari, judicari, & condemnari à iudice sæculari potuisset? Videtur potuisse. 1. quia Religiosus, violans vota sua, & per apostasiam desciscens à fide, & Ordine religioso, non est dignus defensione Ecclesiæ, quam ista personis Ecclesiasticis præstat per privilegium fori. 2. Marcellinus fuit incendiarius. isti autem non gaudent privilegio loci, seu asyli Ecclesiastici, à quo argumentum ducitur ad privilegium fori, concessum personis Ecclesiasticis. 3. Clericus, etiam in majoribus constitutus, si dimisso habitu clericali, se immisceat enormitatibus, sive multa enormia crimina committat, privilegio fori exuitur. ergo multò magis noster Marcellinus frater laicus, qui dimisso Habitu religioso, primò apostasiam à fide Catholica, & religione, dein sacrilegium contractu incestuum nuptiarum, postea furtum qualificatum, homicidium, & crimen excitati malitiosè incendii, quæ omnia enormia sunt, commisit.

Verum hæc argumenta intentum non *8.* probant. ad unum etiam hæretici, si *Solvuntur.* propter aliud, quàm hæresis crimen, confugiant ad Ecclesiam, defenduntur Privilegio loci sacri,

ut cum Sylv. Azor, Suarez, Farin. Bonac. Palao, Belbene defendunt Haun. *tom. 6. de f. & f. tract. 1. n. 160.* Illiung *tract. 5. D. 2. n. 259.* Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 24. n. 14.* Eminentissimus Petra *tom. 4. Comment. fol. 5. n. 11.* Engl *ad tit. de Immunit. n. 19.* Pirhing *ibid. n. 40.* Wieltner *dist. tit. n. 123.*

neque obstat ipsis crimen hæresis, & ex hoc orta indignitas pro hoc favore Ecclesiæ. igitur, licet apostata etiam ipsi indigni sint favore privilegii fori, tamen isto solâ commissione criminis apostasie non exuuntur. Probatur autem paritas; nam sicut privilegium asyli datum est ob sanctitatem loci, & non cum respectu ad personam ad hunc confugientem, ita privilegium fori concessum est personis Ecclesiasticis, non cum respectu ad singulares ipsorum personas, sed in reverentiam statum, quem etiam apostata retinet, quippe qui manet subditus Ordinis sui, & ligatus professionis emissæ vinculo. Quare indignitas, per apostasiam à Marcellino con-

contracta, hunc privilegio fori non exiit: quod maxime verum est apud Senatum semih Catholicum, ubi apostata ob solum crimen apostasie plenam impunitatem habent, quæ proinde tollere privilegia eorum non debet.

9. Ad 2. Quod incendiarii ab asylo Ecclesiastico excludantur, dicitur sine textu juris: neque huic asserto patrocinatur can. omnes 17. q. 4. & alia jura; nam ista tantum loquuntur de incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum; imò ne hos quidem vi textuum istorum privari asylo, docent

Suar. l. 3. c. 8. n. 3. Farin. prax. crim. l. 1. c. 6. n. 105. Bonacin. D. 3. q. 7. p. 6. §. 1. n. 6. Delben. de Immunit. c. 16. dub. 24. sect. 15. n. 1. & seqq.

Neque obstat, quod in iis textibus dicitur, incendiarios, & violatores Ecclesiarum à limitibus Ecclesie esse pellendos, & indignos pronuntiandos Ecclesie præsidio, quippe qui illam violaverunt; nam indigni sunt, si attendatur illorum delictum, non verò, si attendatur matris Ecclesie pietas; alias nullus delinquens gauderet immunitate.

10. Ad 3. quod dictum est de Clerico, immiscente se enormitatibus, ut propterea privilegium fori Ecclesiastici perdat, intelligendum est cum limitatione, si post trinam Episcopi monitionem non resipiscat.

Covar. pract. qq. c. 32. n. 2. §. tertio. Clar. §. fin. q. 36. à n. 19. Farin. l. 1. prax. crim. q. 8. n. 53. Marta de jurisdict. p. 4. cas. 135. n. 2. Fachin. l. 9. contr. c. 28. Barbof. l. 1. jur. Eccl. c. 39. §. 2. n. 71. & seqq.

reus autem noster post crimina furti, homicidii, incendii, à se commissa, non fuit monitus ab Episcopo, ut resipiscat: imò resipuit, cum in Italia Ecclesie, & suo Ordini religioso reconciliatus est, à quo post reditum suum primum iterum recessit.

11. Hinc, argumentis his non obstantibus, ad propositam quaestionem respondeo, Marcellinum, etsi deprehensus fuisset statim post commissa hæc crimina, non potuisse, etiam dum adhuc erat apostata, incarcerari à Magistratu seculari, nisi ad eum finem, ut extradatur judici Ecclesiastico pro debita poena de ipso sumenda. Ratio est, quia privilegio fori Ecclesiastici gaudent Regulares utriusque sexus

can. de persona 38. caus. 11. q. 1. c. Clericis 3. de Immunit. Eccl. in 6. Auth. statuimus. C. de Episc. & Cler. Novell. 123. c. 21.

Neque obest, quod reus hic noster fuerit tantum Frater laicus, nullo Ecclesiastico Ordine insignitus; quia nihilominus tales Religiosi laici personæ Ecclesiasticæ sunt, utpote obsequio divino specialiter mancipatæ

can. duo sunt 7. caus. 12. q. 1. can. si quis suadente 29. caus. 17. q. 3.

Imò hoc privilegio gaudent etiam Novitii, ut constans est Canonistarum, & Legistarum doctrina, prout videre est

apud Sanch. l. 6. moral. c. 10. n. 10.

quia & ipsi personæ Ecclesiasticæ reputantur. gavisus ergo tum adhuc Marcellinus noster erat privilegiis fori Ecclesiastici.

12.

Neque privilegio isto ipsum exiit enormitas criminum ab eo commissorum; nam majus adhuc crimen est, si Clericus, vel Religiosus se immisceat conspirationi, ac rebellionem subditorum in suum principem: quo casu, si deprehendatur, capi quidem talis Clericus, vel Religiosus potest à Magistratu seculari, post capturam autem ab hoc contra illum ad poenam criminis procedi, nisi, quando Clericus est degradatus; si Religiosus laicus, exutus à Superioribus suis Habitu regulari, per Magistratum Ecclesiasticum Curie seculari tradatur. Ratio est, quia aperti juris regula est, non posse pro quocunque crimine, etiam atrocissimo, à Curia seculari judicari, & puniri personam Ecclesiasticam, nisi post actualem degradationem, si reus sit Clericus, vel post privationem Habitibus, & privilegii Ordinis à suis Superioribus, si Religiosus laicus sit

c. at si Clerici 4. c. cum non ab homine

10. de judic. c. nullus 2. c. si diligenti 12.

de for. compet. c. novimus 27. de V. S.

Neque obstat generalitas l. quisquis 5. C. ad Leg. Jul. Majest. nam lex ista, utpote mere civilis, ad Clericos, & Religiosos non porrigitur.

QUÆRITUR III. An, posito, & non

13.

Quæstio 3.

concesso, quod per apostasiam exciderit Marcellinus privilegio fori Ecclesiastici, non saltem illud recuperaverit, quando ad fidem Catholicam, & Ordinem suum, Habitu resumpto, rediit? Resp. affirmative; nam tunc iterum se ostendit publicè, se Religiosum esse, & pro tali ab omnibus haberi velle: consequenter indubitato gaudebat privilegio, etiam posito (cujus tamen contrarium antea ostensum est) quod illud antea perdidisset. Neque obstat, si Habitu Religiosum etiam assumpsisset eam intentione, ut vitaret poenas judicis secularis, sicque hujus jurisdictioni sese subduceret; nam fecit, quod debuit: consequenter fraudis non est suspicio; quippe cum, qui obligationem suam exequitur, vel jure suo utitur, fraudem fecisse dici non possit. Exemplum est in eo, qui post patratum scelus confugit ad asylum: cum quo omnimoda paritas in casu præsentis; nam sicut in hujus potestate est, commissio delicto, se recipere in asylum, ita in Marcellini nostri potestate, imò obligatione erat se reconciliare Ordini suo, & recipere istius Habitum; proinde sicut ille privilegio asyli propter commissum antea

(D dd dd 3)

de.

delictum, ita iste privilegio fori, quod secum fert status religiosus, propter dimissum antea Habitum, & commissa postea crimina, nisi hæc excepta sint, carere non debet. talia autem non sunt, quorum reus Marcellinus tunc agebatur.

14. Servit huc etiam resolutio dubii, quo quaeritur, an Clericus minor, vel Religiosis Novitius propter delictum, v. g. homicidium, furtum, adulterium &c. in statu laicali commissum, post statum Ecclesiasticum assumptum judicari, & puniri debeat à iudice sæculari, an ab Ecclesiastico? In qua quaestione licet diversa sit mens Doctorum, communis tamen illa resolvitur distinguendo, an scilicet ante susceptum Clericatum à iudice sæculari coeptum jam sit iudicium per citationem, aut litis contestationem, an verò nondum sit coeptum. Si primum,

juxta Menoch. *de arbitr. cent. 2. cas. 131. n. 8.* Pignatell. *tom. 2. consult. 66. n. 21.* & alios,

reus ejusmodi respondere debet coram iudice sæculari; quia ibi perfici debet iudicium, ubi coeptum est

c. *proposuisti 19. de for. compet.* puniri tamen ab eo poena corporis afflictiva nequit; quia per suspensionem Clericatus persona ejusdem exempta est à potestate sæculari. Si secundum, conveniri debet coram iudice Ecclesiastico, prout non semel declaratum esse à Congreg. Immunit. testatur Pignatell. *consult. cit. n. 26.* In casu præsentis contra Marcellinum ante resumptum Habitum, nondum fuit coeptum iudicium; & si fuisset etiam coeptum, juxta resolutionem ad primum modò positam distinctionis membrum adversus ipsum ad poenam, corporis afflictivam præcipue, à iudice laico procedi non potuisset: ut adeò fuerit ipsi integrum, saltem eo usque, privilegium fori Ecclesiastici. Ex quo sequitur resolutio illius, quod

15. **QUÆRITUR IV.** an Marcellinus circa laesionem Immunitatis Ecclesiastica, & Ordinis religiosi, cui adscriptus erat, injuriam, potuerit adhuc à sæculari Magistratu custodiri, & repugnans Ordinis sui superioribus detineri, postquam à commissis saepe memoratis criminibus apostasia scilicet, furto, homicidio, & incendio excitato in foro Ecclesiastico absolutus, & Ecclesia, Ordineque reconciliatus, rediit in Habitum religioso, fidemque per litteras authenticas Superiorum suorum fecit, se esse verum Religiosum, simulque contestatus est, se perseveraturum in sacro suo Ordine, atque ideo etiam repetitus à Superioribus huius sui Ordinis? Respondendum enim est, non potuisse illum sine laesione gravissima jurium Ecclesiasticorum custodiri, vel detineri à Magistratu sæculari, multò minus gravius in eum animadverti, sed reddendum fuisse saltem Magistratui Ecclesiastico, si non ipsi Ordini, usque dum legitimam auctoritatem, si

videretur commisisse crimen exceptum; exueretur privilegio fori Ecclesiastici. Ratio est, quia, ut dictum est ad *quæst. 2.* semper privilegium istud, etiam dum erat apostata, retinuit; & si perdidisset illud, per reconciliationem cum Ecclesia, & Ordine juxta dicta ad *quæst. præc.* recuperasset; præterea posito etiam, quòd dubium fuerit, an privilegium hoc vel retinuerit, vel recuperaverit, juxta dicta ad *quæst. 1. nam* sæcularis Magistratus dubii huius decisionem relinquere debuisset iudici Ecclesiastico.

Proceditque responsio, etiam si Marcellinus reus fuisset aliorum adhuc multò atrociorum criminum; quia privilegium fori, Ecclesiasticis personis concessum, plenissimum est, ita quidem, ut, spectato jure communi, ob nullum crimen persona Ecclesiastica coram iudice Ecclesiastico conveniri, aut ab isto puniri ullo modo possit, prout dictum est *num. 12.* & constat ex ibi allegato c. *cum non ab homine*, ibi, *sive in furto, sive in homicidio, sive in perjurio, sive in alio crimine &c.* Estque hoc verum, etsi reus sit talis criminis, quod ob enormitatem suam exigat poenam infligendam à iudice sæculari; nam ex hoc non sequitur, quòd sæculares iudices ipsi auctoritate propria iudicio horum criminum se possint intromittere, sed convenientius est, ut expectent, dum ab Ecclesiastico iudice ad hoc vocentur. Quia tamen Marcellinus, ut *num. 2.* in Facti specie dictum est, animo iterum apostatandi à fide, & religione rediit, & periculum erat de fuga, poterant juxta doctrinam datam *num. 5.* Senatores etiam Catholici per sua suffragia concurrere, ut caperetur, non tamen alio fine, & intentione, quam, ut restitueretur illis, sub quorum jurisdictione erat.

17. **QUÆRITUR V.** an idem Marcellinus, postquam rursum dimisit Habitum religiosum, & deservit ad Lutheranos ex horum persuasione, per hanc secundam apostasiam amisit ipso jure privilegium fori, ita, ut validum fuerit ipsius examen & confessio, super præmissis delictis ab ipso coram iudice laico facta? Resp. negative; nam per primam apostasiam privilegium hoc non amisit, sed semper mansit Religiosus; consequenter subjectus soli iudici Ecclesiastico. Neque obstat praxis Acatholicorum, qui apostatas pro laicis habent, & ut tales punire solent; nam contra privilegium fori, concessum statum Ecclesiastico, nulla, etiam immemorialis, consuetudo prævalere potest, aut iudici sæculari concedere valet potestatem adversus personas Ecclesiasticas, eo privilegio non exutas, procedendi, utpote quæ consuetudo est irrationabilis, proinde corruptela, quippe cui SS. Canones semper resistunt, ita, ut nunquam præscribi possit.

Pir.

Pirhing ad tit. de for. compet. n. 85.
Englibid. n. 49. & colligitur ex c. Clerici 8. junct. Gloss. V. consuetudine de judic.

18. Proinde examen contra reum hunc institutum, & confessio ab eo facta nullius fuerunt roboris, utpote facta ab, & coram iudice incompetente: ut adeò locum habeat Catholica doctrina, juxta quam, etsi liquidissimæ probationes afferantur adversus Clericum delinquentem, iste tamen ex his à iudice sæculari condemnari nequeat. Imò iste neque sententiam, à iudice Ecclesiastico adversus hujusmodi reum pronuntiatam, exequi, nisi de hujus mandato potest; quia tam prolatio sententiæ, quam istius executio sunt actus judiciales, ad quos exercendos opus est jurisdictione in eum, in quem sententia lata est.

19. QUÆRITUR VI. *Utrum reus hic noster, si non propter iteratam apostasiam, & dimissionem habitus, saltem propter crimina, coram iudice laico confessus, ipso jure privilegium fori amiserit?* Resp. negativè; nam crimina ista, utpote personæ Ecclesiasticæ, sunt fori Ecclesiastici: consequenter ante extraditionem non habet iudex sæcularis, quod in illo puniat ob jurisdictionis defectum. Porro, antequam iudex Ecclesiasticus Clericum tradere Curie sæculari, & sic spoliare privilegio fori possit, observandus est ordo, qui in c. cum non ab homine 10. de judic. præscriptus est, ubi Clericus, si furti, homicidii, perjurii, vel alterius cujuscunque gravis delicti reus sit, jubetur primum deponi; deinde si depositus incorrigibilis sit, excommunicari; si creverit contumacia, anathematis mucrone feriri; & demum, si in profundum malorum veniens, contempserit, degradari, & Curie sæculari tradi.

20. Sunt quidem aliqua crimina, in quibus ordo iste necessariò observandus non est, ut est imò hæresis manifesta, & multò magis apostasia à fide, saltem cum quis in illam relapsus, vel in ea contumax est

c. ad abolendam 9. de hæret. & c. super eo 4. eod. in 6.

2. falsificatio litterarum Apostolicarum c. ad falsarios 7. de crim. fals. & c. novimus 27. de V. S.

3. contumelia gravis, calumpnia, crimen insidiarum, & conspirationis in Episcopum

can. si quis 18. caus. 11. q. 1.

4. assassinium c. pro humani 1. de homicid. in 6. ubi reus istius criminis, etiamsi nulla excommunicationis, vel depositionis sententia præcesserit, ab omnibus dicitur diffidatus, & quasi morti traditus, 5. Sodomia frequentata, h. e. non semel tantum sed sæpius commissa,

ex Const. S. Pii V. incipit horrendum, edità Cal. Sept. 1568.

6. Celebratio Missarum, & auditio confessionum Sacramentalium temere præsumpta ab eo, qui sacro Presbyteratus Ordine non est initiatus,

ex Const. Clem. VIII. incipit *Etsi aliàs edità 1. Decemb. 1601.* 7. Fabricatio, & adulteratio monetæ aureæ, vel argenteæ, aut ejus adulteratæ erogatio, vel expositio in regnis, Provinciis, & civitatibus Italiæ,

ex Const. Urbani VIII. incipit *in summa edità Idib. Nov. 1627.*

In cæteris tamen, quantumcunque enormibus, criminibus, expectanda est incorrigibilitas, ut teste Zoef. ad tit. de Pen. communis habet sententia. Et hinc, si spes emendationis appareat, deponendus quidem erit reus, non tamen tradendus Curie sæculari, sed dammandus ad carceres perpetuos. incorrigibilis autem ut dicitur Clericus possit, videtur requiri sententia iudicis declarativa incorrigibilitatis, & quod non habeat aliud, quod facere ad correctionem illius possit, quam ut eum tradat brachio sæculari.

Quod hic dictum est de Clerico, cum proportionem applicandum est in Religioso Professo, etsi laico; nam nisi crimen ex prius exceptis commiserit, omnia prius tentanda, antequam exutus privilegio fori, tradatur iudici sæculari puniendus. In casu præsentis Marcellinus ex ita exceptis commisit solam apostasiam, quæ tamen A. à poena, ut dictum, immunis est. Proinde ob furtum, homicidium, incendium à se excitatum, etiamsi ob ista fuisset comprehensus à iudice Ecclesiastico, non potuisset tradi Curie sæculari, & multò minùs ab hac arrestari, & judicari, absque consensu Ecclesiæ. Notant quidem DD. alicubi in criminibus valde enormibus, licet non sint ex suprà exceptis, ut est parricidii, fratricidii, occisionis Prælati sui, homicidii proditorii, vel per insidias &c. non observari ordinem suprà descriptum: sed nullus Catholicorum DD. dicit, pro hujusmodi criminibus Clericum, vel Religiosum delinquentem à Magistratu sæculari propria autoritate capi, incarcerari, aut judicari posse. Ex quo solvitur, quod

QUÆRITUR VII. *an continuata à Magistratu sæculari Marcellini detentio in carcere, & alia contra eum acta subsistant?* Resp. ut jam num. 18. dictum est, omnia ista valore destitui, cum aperte sint contra SS. Canones, & inductum per hos privilegium fori Ecclesiastici, commune tam Clericis, quam Laicis etiam Regularibus. Unde Magistratus sæcularis, qui ejusmodi Religiosum etiam ob crimen notorium, & morte dignum in carcere suo detinet, nisi velit incurrere pœnas, contra violantes privilegium fori Ecclesiastici à jure sancitas, debet sic detentum extradere iudici Ecclesiæ

21.

22.

fiastico, cujus deinde est dispicere, an brachio seculari pro poena contra ipsum sumenda restituendus sit. In presenti casu semel traditus judici Ecclesiastico non

amplius Magistratui seculari, sed Ordini suo, quippe qui habet poenas, talibus delictis competentes, per Institutum suum praescriptas, deberet reus noster restituui.

CONSILIUM LXXXIV.

In causa ad praecedentem consequente, supplicii nimirum capitalis, de Religioso ob crimina in apostasia commissa, postea verò converso, sumpti.

SUMMARIUM.

1. seqq. Facti species.

4. Sententia à iudice incompetente lata, est nulla.

5. Sacrilegium committunt, qui agunt contra exemptionem Clericorum.

6. Clericus enormitatibus se immiscens quomodo debeat judicari?

7. 8. Declarantur inexcusabiles, qui in presenti casu Immunitatem Ecclesiasticam violaverunt.

9. Ob bonam fidem possunt absolvi ab hoc peccato.

10. Et ab Excommunicatione.

FACTI SPECIES.

I.



Præcedens resolutio, statim atque ad civitatem A. advenit, illico communicata est DD. Canonicis præcipuis Cathedralis Ecclesiae, qui proin eodem die sub vespere, Capitulo extra ordinem congregato, fecerunt decretum, quo sub interminatione poenarum, ipso jure latarum, inhibebatur executio sententiae, pridie à Magistratu laico contra miserum Marcellinum latae, & petebatur ejus extraditio. Decretum hoc, nomine Reverendissimi, & Serenissimi Episcopi subscriptum, missum est ad dominum prætorem urbis Catholicum. Hic illa ipsa die circa 8. vel 9nam nocturnam de hoc decreto admonuit senatores Catholicos, saltem præcipuos, quod tamen non ab omnibus acceptum est eâ obedientiâ, ac reverentia, quâ par erat; licet enim nonnulli, observantiores, & quidem ex præcipuis, tam voce, quam scripto contra sententiam condemnationis in senatu latam eadem adhuc die protestati sint acerrime, prævaluit tamen pars adversa.

2.

Unde factum, ut die sequenti, quâ post sententiam mortis, biduo antè latam à senatu, qualitas supplicii juxta morem determinari debebat, aliqui senatores Ca-

tholici calculum suum contra immunitatem dederint, contra quam quia etiam senatores Acatolici suffragabantur, ideo votorum pluralitas evicit ultimam sententiam, quâ decretum fuit, ut reus, post binam per forcipes candentes in loco supplicii factam brachiorum adustionem, statim jugularetur, & corpus occisi in parato ad id rogo combureretur. Reus post auditam sententiam istam, antequam educeretur ad supplicium, ita instructus à PP. sui Ordinis, hujus, & suo nomine contra illam, utpote quâ violabatur privilegium fori Ecclesiastici, solennissime protestatus est. Patres Societatis Jesu, qui reum, optimè dispositum ad mortem subeundam, cum R. D. Cooperatore Ecclesiae Cathedralis ad locum supplicii committati sunt, singulariter caverunt, ne per aliquid viderentur approbare hanc sententiam: imò, licet aliàs post qualitatem supplicii reo denuntiata soliti sint semper rogare, & impetrare mitigationem aliquam sententiae, istam tamen hac vice ex condicto omiserunt petere, sic, ut tandem ipse Magistratus civilis ad eos quemdam miserit, qui interrogaret, an nihil peterent ex more aliàs usitato; sed nostri responderunt, nihil esse, quod ipsi nunc petere velint, aut possint. Secuta proin est executio sententiae, & prout dictata hæc erat, reus, bis candenti forcipe adustus, laqueo dein suffocatus, & corpus jam mortui igni combustum est.

Post supplicium de reo ita sumptum magna

3.

na fuit expectatio, quid statuendum sit à Capitulo Cathedrali tum ob contemptum decreti inhibitorii à Serenissimo Episcopo emanati, tum ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam. Melior pars volebat jam omnia infecta esse. Qui ex Catholicis ad supplicium cooperati sunt, prætendebant, inhibitionem istam non fuisse authenticam, nec debito modo sibi indicatam. Authenticam quidem fuisse negabant, quòd facta sit à Capitulo Cathedrali, adscripto nomine Serenissimi, cum tamen decreta, quando fiunt ab Episcopo, à Vicario Generali, contra, quando fiunt à Capitulo, subscribi deberent à Decano ejusdem Capituli nomine. Debitè insinuatam autem inficiabantur, quòd idem decretum ad dominum prætorem Catholicum missum fuerit tantum per cursores ordinarii Capituli, vulgò den Capitl. Wotten; expectassent enim id sibi allatum iri per aliquem insigniorem Officialem Capituli, vel Consistorii. Aliqui Confessarii Religiosi inquirebant, an possint ipsi absolvere tales senatores, qui pro mortis sententia tulerunt suffragium, si fortè ab ipsis peturi essent absolutionem. Undique conquirebatur modus, quo factum defenderetur; & aliqui etiam sperabant hujus approbationem à quibusdam Professoribus juris civilis, præsertim A Catholicis.

4. QUÆRITUR I. *quam penam incurrerint, qui pro sententia sic lata tulerunt suffragium?* Resp. 1. Sententia hæc fuit nulla, & irrita ipso jure, utpote lata à iudice laico contra Religiosum Professum, gaudentem privilegio fori Ecclesiastici, adeoque pronuntiata à iudice incompetente: consequenter deliderabatur unum ex præcipuis requisitis ad valorem sententiæ, scilicet competentia iudicis

c. at si Clerici 4. de iudic. c. si quis Clericus 1. & seqq. de for. compet. l. fin. ff. de iurisdic. l. hoc editum 1. fin. ff. quod quisque juris &c. & tot. tit. C. si à non competent.

Ratio est, quia iudex incompetens iurisdictione in reum, coram se accusatum, vel sibi delatum caret, & consequenter frustra pronuntiat, nec ab eo iudicatum dici potest, cum quoad hanc causam habeat se ut privatus. Per consequens

5. 2. Cum juxta Trid. sess. 25. c. 20. de reformatione Apostolicæ sanctiones, in favorem personarum Ecclesiasticarum editæ, tanquam Dei præcepta, à Principibus, & aliis Magistratibus Christianis venerandæ sint, illi, qui suffragio suo concurrerunt ad ferendam istam sententiam, per se loquendo, & nisi alia causa ipsos excuset, reos se fecerunt peccati mortalis gravissimi; licet enim juxta plerosque DD. exemptio hæc personarum Ecclesiasticarum à foro sæculari immediate sit juris huma-

R. P. Schmalzgrueber Consilia,

ni, originaliter tamen, & initiative est juris divini: quod innui videtur etiam à Trid. sess. 23. c. 6. de reformatione, ubi immunitas hæc dicitur *constituta Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus*: Canonicis Sanctionibus quidem, quibus partim introducta, partim acceptata sunt privilegia ab Imperatoribus statui Clericali concessa, ut patet ex obviis textibus. Dei ordinatione autem; quia exemptio hæc originem, & initium suum ex jure divino trahit: idque ex triplici capite. 1. quia facta est ad imitationem legis antiquæ, quæ sacerdotes, & Levitæ à potestate reliquarum Tribuum exempti, Aaroni, & successoribus ejus tantum subiciebantur. 2. quia ex speciali quodam instinctu, & quodammodo præcepto Dei profecta est; cum enim recta Ecclesiæ Dei gubernatio exigere videatur, ut Clerici, tanquam patres, & magistri reliquorum fidelium, ab istorum potestate, & iurisdictione eximerentur, per hoc ipsum, quod Christus commiserit Pontifici gubernationem Ecclesiæ suæ, etiam commisisse ipsi potestatem censetur privilegium hoc communicandi Clericis, & aliis personis Ecclesiasticis. 3. quia etsi jure naturæ non necessario competat Clericis, tamen eidem maxime consentaneum est Clericos, tanquam res Deo dicatas, non eodem modo tractari, sicut tractantur laici. habet autem Pontifex ex jure divino potestatem gubernandi Ecclesiam, & faciendi in illa, quod maxime consentaneum est juri divino, & naturali. Peccarunt ergo, qui sententiam mortis hoc casu tulerunt in reum, simul contra legem divinam, cui ut homines, & contra Sanctiones Ecclesiasticas, quibus ut Christiani, & quidem Catholici, præsertim post inhibitionem ab Ordinario factam cum intimatione poenarum latarum à jure, omnem reverentiam, obedientiam, & subjectionem debuissent exhibere. Et quidem peccatum hoc est peccatum Sacrilegii, ut notatur *can. si quis suadente 29. caus. 17. q. 4.*

3. Ex hoc ipso Canone patet, quòd iidem senatores incurrerint etiam Excommunicationem Canonis, sedi Apostolicæ reservatam: à qua Censura ipsos non excusant textus

Cum non ab homine 14. c. perpendimus 23. de sent. Excommun. & c. pro humani 1. de homicid. in 6.

ubi à privilegio Canonis excluduntur Clerici quicunque, qui dimisso Habitu, enormitatibus, h. e. latrociniiis, assassiniis, aliisque enormibus criminibus se immiscerint; quia, ut in casu præcedente num. 10. dictum est, ut dispositio hæc juris locum habeat, requiritur prævia trina monitio ipsius delinquentis, & hanc consequens incorrigibilitas, per sententiam declarata. Similiter non obstat, quòd Mar-

(Ecc ee)

cel.

cellinus noster hanc poenam, quæ ipsi infligenda est, per delicta à se commissa fuerit meritus; nam Clerico, si delinquat (idem est de Religioso) poena ab Ecclesiastico, suoque Magistratu est infligenda.

Barbof. *in can. si quis suadente cit. n. 47.*
Wielner *ad tit. de immunit. n. 79.* Reif-
fensuel *ibid. n. 115, la Croix tom. 8.*
l. 7. n. 300.

Si verò iudex Ecclesiasticus ob enormitatem criminis, quid porro faciat ad correctionem rei delinquentis non habeat, observandus est ordo in resolutione casus præcedentis supra allegata num. 19. annotatus, & expectanda extraditio facienda à iudice Ecclesiastico, non verò ultro ingerere se Magistratus sæcularis debet.

7. QUÆRITUR II. *an ii senatores, qui suffragio suo concurrerunt ad dictandam sententiam supplicii capitalis, à peccato, & censura Excommunicationis supra dictis possint aliquo modo excusari?* Resp. respectu eorum, quæ præcesserunt decretum inhibitorium, nomine Serenissimi Episcopi emanatum, excusari fortasse possunt ob auctoritatem eorum, qui super hoc negotio consulti, vel consilium, vel approbationem suam dederunt; quia cum multi Ecclesiastici, & aliqui etiam illorum Theologiæ Professores essent, supponi meritò ab ipsis potuit, quòd non fuissent approbaturi id, cui contrarium scivissent fuisse sancitum à SS. Canonibus.

8. Post communicatum Episcopale decretum inhibitorium executionis sententiæ, contra Marcellinum latæ, difficilior est invenire viam, per quam excusentur senatores Catholici, qui, eo decreto insuper habito, institerunt condemnationi illius; debuisset enim apud illos opinioni privatorum TT. prævalere auctoritas sui Ordinarii, Serenissimi Episcopi, qui iussit illos manum remove à tabula. Neque excusationem legitimam præbet, quòd decretum hoc non fuerit subscriptum à Vicario Generali, & missum duntaxat per cursorem Capituli; nam, consideratis circumstantiis, quæ tempore illo erant, quippe quo administrationem habebat Capitulum, sufficere debebat insinuatio ista. Quidquid sit in foro fori, in foro conscientiæ, ubi poenitens reus simul, & accusator, & testis est, Confessarius senatori pro absolutione sacramentali ad eum accedenti credere debet, illumque juxta dictamen, quo in causa ista processit, judicare. Hinc resolvitur, quod

9. QUÆRITUR III. *quomodo se gerere Confessarius debeat erga hos senatores, si sacramentaliter à peccatis suis absolvi petant? & quis*

absolvere eosdem à censura Excommunicationis forte incursum possit? Resp. ad unum talem senatorem, si absolutionem sacramentalem à peccatis suis petat, dicens, se votum suum pro condemnatione Marcellini dedisse persuasum auctoritate eorum, qui putabant hoc bonâ conscientia, & absque periculo incurrendæ censuræ fieri posse, tractandum à Confessario secundum bonam fidem ab ipso allegatam, adeoque impertiendam ipsi absolutionem à peccatis, & ad cautelam à censura, si hanc incurrisset; nequaquam verò obligationem eidem imponendam, ut communicationem cum reliquis fidelibus vel in sacris, vel in profanis vitet, quia Excommunicationem vel non incurrit ob bonam fidem, cum qua processit, vel si incurrit, propterea non est vitandus; licet enim notorium factum sit, & notorii percussores Clerici, non expectatâ sententia criminis, & censuræ incursum declaratoriâ, vitandi sint, non tamen notorium est, quòd ex hoc facto Excommunicationem incurrerint, cum aliqui, & quidem ex his Theologiæ Professores sustinuerint suffragium pro morte rei præsentis jure ferri à senatoribus potuisse. Ex eodem capite

Ad adum quæstionis istius membrum 10. judico, etiam posito, quòd hi senatores incurrissent propterea Excommunicationem Canonis, nihilominus tamen istos potuisse absolvi pro foro conscientiæ ab hac censura per Confessarios Religiosos Ordinis mendicantium juxta horum privilegia, tum quia censura ista, quòd incursum ab iis sit, nondum, ut dixi, notoria est, nec ad forum contentiosum deducta; tum quia necessitas pro absolutione recurrenti ad sedem Apostolicam eos, quibus difficilis est recursus iste, non urget. Inter hos autem reputantur, qui Officio publico, ut in casu præsentis est Prætor urbis, & senatores, illigati sunt, ut colligitur

ex c. ea noscitur 13. & c. quamvis 58. de sent. Excomm. & docent Palao tract. 29. D. 3. p. 23. §. 4. n. 17. Vallens. 8. ad tit. de sent. Excomm. §. 7. n. 4. Engl. ibid. n. 144. Pirhing dict. tit. n. 77. la Croix tom. 8. l. 7. n. 300.

Neque obstat, quòd pro absolutione à summo Pont. obtinenda possent mittere aliquem Romam, qui illum pro ipsis expetaret, ut ex Navarro addit

Sayr. *l. 3. thesaur. c. 28. n. 38.* & inde constat, quia jus sic impeditos ad hoc non videtur obstringere, sed solum vult, ut, si possint, vadant ipsimet.

CONSILIUM LXXXV.

In causa Religiosi falsarii, à Magistratu sæculari incarcerati.

SUMMARIUM.

1. *seqq. Facti species.*

5. *Clericus non potest detineri in carcere per Magistratum laicum:*

6. *Etiā post apostasiam à fide.*

7. *Ordo religiosus non tenetur solvere debita*

apostata.

8. *Quid agendum sit senatori Catholico, quando agitur de immunitate Ecclesiastica?*

9. *Sacerdos criminosus non debet à Magistratu laico dimitti, sed Ecclesiastico tradi.*

FACTI SPECIES.

I.



Auld post executionem supplicii de Marcellino, de quo in duabus resolutionibus præcedentibus, sumptam, in eandem urbem A. venit alius quidam Religiosus, & quidem sacerdos, quem Aquilinum dicemus. Profugit iste ex Italia, ubi in Conventu quodam degebat, abjectoque regulari Habitu, apostatam à Religioso suo Ordine professus est. Inventa sunt apud ipsum diversorum Cardinalium, & aliorum sigilla: hinc, tanquam falsarius, in carceres publicos abstractus est. Quod Religiosus, & sacerdos sit, fidem fecerunt litteræ, à Provinciali ipsius ad dominum Prætorē Catholicum datæ, in quibus ille inquirebat in hunc suum subditum. Hoc tamen non obstante, perrexit senatus ipsum detinere in carcere. Spemitoris sententiæ, & prout dicitur, intentione fugiendi tribunal Ecclesiasticum, abjurata fide Catholica, Lutheranismum professus est. Primum, quod sperabat, non obtinuit: nam, ubi de falsificatione sigillorum ab ipso facta per confessionem propriam constitit, in eo res erat, ut virgis à carnifice cæsus, ex urbe eiceretur. Hinc facti pœnitens, rediit ad Ecclesiam, misitque capropter duos libellos supplices, unum ad Reverendissimum Vicarium Generalem, alterum ad Reverendissimum Ecclesiæ Cathedralis Decanum, ex quibus prior per Officialem Consistorii Ecclesiastici, ad Magistratum civicum à se missum, eundem Aquilinum ex carcere, & potestate sæculari repetiit.

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

Senatorum Catholicorum animi jam sunt mitiores, quam prius erant in casu præcedenti, qui proinde cum suis Consulentibus jam omnes dicunt, optare se, ut reum hunc possint tradere iudici Ecclesiastico. His autem reluctantur Acatolici, qui traditionem hucusque impediunt. Objiciunt autem imò exemplum calūs præcedentis, in quo, cum senatores plerique Catholici consenserint in condemnationem Marcellini Religiosi Professi laici, nihil jam videtur obitare, quin etiam consentire possint in sententiam ferendam contra Aquilinum, non obstante, quod ipse sacerdos sit, quippe cum de jure Canonico quoad immunitatem, & privilegium fori pari forte gaudere debeant. 2. fundantur in instrumento pacis Westphalicæ, per quam apostatæ, de crimine convicti, subjiuntur Magistratui sæculari, saltem in locis ex toto Acatolicis. 3. addunt, dimitti eum non posse, donec soluta sint debita, ab Aquilino ante captivitatem contracta, & satisfactum sit senatui pro alimentis, eidem, dum detinebatur in carcere, subministratis.

Ratione debitorum, ante captivitatem contractorum, sciendum, eundem Aquilinum notabili tempore per civitatem ambulasse liberum, donec suspicio criminis falsi oriretur, & ob hanc abstraheretur ad carceres. Hoc tempore ille multa apud diversos contraxit debita, quorum solutionem cum isti post captivitatem ejusdem apud Magistratum sollicitarent, mercator quidam Acatolicus primo statim tempore captivitatis promisit solutionem omnium debitorum pro captivo, tum adhuc Catholico, sub pacto (prout publicè notorium est) si Lutheranismum profiteretur. Acceptavit conditionem hanc Aquilinus, & tum desiderio liberandi se ab impetitione

2.

3.

(Ecc eez)

ne

ne creditorum suorum, tum, ut *num. 1.* dictum, sperans, mitius se tractandum, Lutheri sectam amplexus est. Jam verò, postquam ille ad fidem orthodoxam rediit, mercator ait, obligationem promissionis suæ cessasse. Hinc creditores urgent detentionem ipsius Aquilini, dum eisdem pro credito satisfiat.

4.

Non cessabant Acatolici suadere captivo feditum ad Lutheranos spe libertatis obtinendæ post debita sua extincta, ad quorum solutionem iterum sub ea conditione se obtulit idem mercator. Sed cum Aquilinus ad rursus deferendam Religionem Catholicam permoveri non posset, & insuper senatores Acatolici, qui soli insistebant ulteriori ejus detentioni in carcere, formidarent, ne Augustissimi mandato, de quo contra se emanando non dubia habebant indicia, juberentur reum Magistratui Ecclesiastico consignare, eundem reum occultè dimiserunt ex carcere, & aliò amandârunt.

5. Quæstio 1.

QUÆRITUR I. *utrum Aquilinus, postquam per litteras Provincialis sui constitit, quod verè Religiosus, & professus sit, ac simul sacerdos, potuerit, illa à immunitate Ecclesiastica captivari, & detineri in carcere à Magistratu seculari?* Respondeo negativè. Pater ex resolutione duorum casuum præcedentium; nam tunc adhuc erat Catholicus. Neque obstat, quod fuerit apostata ab Ordine suo religioso; quia per apostasiam non potuit se subducere jurisdictioni ejusdem sui Ordinis, qui proinde eundem ubivis, ubi deprehendi eum contingeret, capere, & incarcerare potuit, quippe cum apostatæ Ordini suo maneat obligati personæ. Hinc Magistratui seculari solum licuit tali casu eidem manus injicere, ut retractum de fuga Ordini suo, vel Magistratui Ecclesiastico sisterent. Aliud fuisset, si ignoratum fuisset, quod fuerit Religiosus, & sacerdos; tum enim ob crimen falsi, per deprehensa apud ipsum sigilla falsa probati, captivari, & attineri à iudice laico sine scrupulo potuisset, sed eòusque duntaxat, donec ipse reus iudici opponeret, se esse Clericum, vel Religiosum: hoc enim casu, licet summaria, & perfunctoria de statu rei hoc asserentis cognitio permittatur iudici laico, ut sciat, an ille sit in possessione Clericatus, vel Professionis religiosæ, plena tamen dubij discussio ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, ad quem proinde remittendus fuisset cum onere, ut restitueretur, si status Ecclesiasticus, quem reus asserbat, non fuisset probatus.

juxta c. si iudex 12. de sent. Excomm. in 6.

6.

QUÆRITUR II. *utrum idem Aquilinus, postquam etiam à fide orthodoxa defecit, & Lutheranismum se professus est, potuerit tum iuste detineri in carcere seculari, & processus*

contra ipsum institui? Resp. iterum negativè; nam adhuc gaudebat immunitate personali, cum fuerit, & manserit persona Ecclesiastica, in quam, nisi præviâ degradatione, Magistratus secularis non habet ullam potestatem, vel jurisdictionem. Neque obstat, quod, ut in Facti speciem *num. 1.* dictum est, ideo ad Lutheranos transierit, ut tribunal Ecclesiasticum evitaret: atque adeo censeatur renuntiassè privilegio fori; nam, cum privilegium hoc exemptionis à foro seculari non personale, sed toti statui Clericali publicè indultum, adeoque favor & jus publicum sit, cui per privatorum pacta derogari non potest, eadem privilegio nullus Clericus vel inuitus, vel volens renuntiare potest, & consentire in iudicem secularem, ut coram ipso conveniatur, ut cum Catholicis DD. omnibus docent.

Pirhing *ad tit. de for. compet. n. 176.*

Zoef. *ibid. n. 20. Schambog. n. 40.*

Engl *n. 39. & constat ex c. si diligenti 12. eod. tit.*

Nec etiam Magistratui seculari in hoc facto patrocinantur pacta conventa in pace Monasteriensi, juxta quæ apostatæ, quamdiu manent apostatæ, & pro Acatolicis sese gerunt, subjecti sunt Magistratui seculari; cum enim pacta hæc inita sint à solis Principibus secularibus, & horum autoritate confirmata, contra protestante summo Pontifice, illa immunitatem Religiosis, & Clericis jure datam tollere non potuerunt, quippe cum causa hæc Ecclesiastica, & spiritualis sit, in quibus laici non disponendi facultatem, sed parendi potius necessitatem habent. Quod verò in ejusmodi locis vel Ordo religiosus, vel Ecclesia apostatas sibi non vindicet, id inde fit, quia protectionem habent à Magistratu Acatolico, in qua per pacem religiosam, & specialiter conventa inter Catholicos, & Acatolicos civitatis A. non licet apostatas tales turbare: quod tamen eò usque solum sese extendit, ut ratione apostatæ ibidem existentes vindicari nequeant; non verò, ut propterea privilegium fori, ante privationem hujus à iudice Ecclesiastico factam, amittant, & iudicis secularis jurisdictioni subiciantur.

QUÆRITUR III. *utrum non saltem Aquilinus ulterius detineri potuerit in carcere seculari propter debita ab ipso contracta pro securitate creditorum?* Est quidem doctrina, à DD. Catholicis approbata, quod in casu, quando Clericus debitor de fuga suspectus est, nec cautionem de solvendo præstare vult, ille à Magistratu seculari, vel ab ipso etiam creditore, si cum ipso fugiente spes solutionis obtinendæ abitura esset, detineri possit, cum mens Ecclesiæ non videatur esse, ut Clericus cum damno creditoris fruatur privilegio clericali. Sed imprimis doctrina hæc,

7.

Quæstio 3.

ut ad libr. 2. Decret. tit. 2. n. 92. §.

48. si Clericus insinuavi,

solum procedit, quando Clericus debitor non vult prestare cautionem desolvendo, quod salva sustentatione potest; secus est, si ita pauper sit, ut neque habeat, neque habiturus sit, ex quo solutionem prester, cum inanis sit actio, quam inopia debitoris excludit. Deinde detentio ejus, qui solvendo est, eo solum dirigitur, ut vel ultro satisfaciat, aut cautionem idoneam de solvendo prester, vel si nolit, ut ad hoc adigatur a judice suo Ecclesiastico; non autem ulla jurisdictio in illum conceditur Magistratui seculari, qui eum detinere coepit: proinde Magistratus iste, ubi fugam debitoris Clerici eum detinendo stitit, judici Ecclesiastico eum tradere debet, illique relinquere cognitionem, decisionemque causae. In nostro casu agitur de debitore religioso, & quidem apostata, ubi proinde locum habet doctrina, quam cum communi tenent

Rodrig. tom. 1. regul. q. 33. art. 1.

Tambur. tom. 3. de jur. Abb. D. 8. q.

5. n. 2. Wiestner ad tit. de regul. n. 172.

juxta quos, neque Monasterium, vel ordo, a quo talis Religiosus profugit, obligari potest ad debita, ab eo tempore apostatae contracta, solvenda. Proinde cum Aquilinus noster, ut ex Facti specie patet, non habeat unde debita ista solvat, neque si redeat ad religionem suam, sicut tenetur redire, quidquam sibi possit acquirere, creditores sibi metipsis imputare debent damnum suum, dum imprudenter mutuaverunt homini tali, cujus actiones & res sunt propriae non ipsius, sed religionis, cui adscriptus est.

Deciditur. Quare ad Quaestionem hanc dicendum, neque propter debita ipsum detineri posse. Idem dicendum de alimentis incarcerato praestiti a senatu; quia non occurrit, a quo solutionem istorum petere Magistratus possit: non ab ipso incarcerato; quia, ut dictum est, nihil habet, nec habiturus est proprium: non a Monasterio, vel Ordine illius; quia cum tali apostatae non teneatur ad alimenta, quippe quae, ut teste P. Wiestner l. cit. n. 170. communis DD. habet, Religioso solum debita sunt ratione servitii Monasterio praestiti. Ferre ergo Magistratus dam-

num istud patienter debet, & quidem culpa sua, cum hominem detinuerit, quem sciebat Religiosum, & sacerdotem, atque adeo non sui fori esse.

QUÆRITUR IV. quomodo senator Catholicus, agnoscens injustitiam hujus detentionis, in casu hoc gerere sese debeat? 8. Quæstio 4.

Resp. si omnes senatores Catholici velint esse concordēs, facile foret negotium; nam, cum pares sint numero cum Acatholicis, suffragiis suis istos aut vincent, aut æquabunt, & sic impedire in hujusmodi causis, quæ ad forum sæculare non pertinent, processum & sententiam inde consequentem sine difficultate poterunt: imò debebunt contrariis Acatholicorum votis positive vi unita resistere, ne participes se faciant sacrilegii, & poenarum sancitarum per SS. Canones contra eos, qui immunitatem Ecclesiasticam violant arrogando sibi jus cognoscendi de causis, præsertim criminalibus personarum Ecclesiasticarum, quæ, ut supra dictum est, prorogare in se jurisdictionem judicis sæcularis nequeunt. Quia verò sperari non potest, in talibus causis omnes senatores Catholicos condemnationi restituros, sciens senator Catholicus, in contrarium tot stare suffragia, ut moraliter certus sit de suo voto nihil posse proficere, negativè habere se potest, nulum ferendo suffragium, vel omnino, cum causa talis agitur in senatu, in eodem non comparendo.

QUÆRITUR V. an bene egerit senatus Aquilinum clam dimittendo? 9. Quæstio 5.

Resp. negativè, præsertim postquam ille sacris Catholicis rursus accessit, & professus est fidem orthodoxam, ipsèque petiit remitti ad tribunal Ecclesiasticum; tunc enim jam cessavit protectio Magistratus Acatholici, utpote quæ solum defenduntur, qui a Catholicis ad Acatholicos deficiunt, & apud istos manent. Debuissentque senatores Catholici huic clandestinae dimissioni intrepidè resistere, & votis suis senatores Acatholicos compellere ad Aquilinum transmittendum Magistratui Ecclesiastico, quippe sub cujus jurisdictione ille fuit, & mansit. Certè Acatholici efficacius urgent, & obtinent à nostris Catholicis, etiam ea, in quibus tantum speciem juris alicujus habent: quod exemplum excitare deberet Catholicos ad jura sua, & Ecclesiæ orthodoxæ liquidam acrius defendenda.